

stum, nudum, viride. Stylus filiformis sub angulo ascendens. Stigma obtusum sub apice oblique barbatum villis sericeo-niveis. Legumen longum, erectum, uniloculare, bivalve, nudum, apice acuminatum, polyspermum; feminibus ultra decem rotundis. Odor nullus.

CCCLIV.

LATHYRUS APHACA.

Lathyrus pedunculis unifloris; cirrhis aphyllis; stipulis sagittato-cordatis.

Linn. spec. plant. pag. 1029. num. 1. Scopol. flor. carn. 2. p. 2. pag. 61. num. 887. Gerard. gallopr. pag. 493. num. 1. Necker. del. gallob. pag. 305. num. 3. Pollich. palat. II. pag. 298. num. 1. Schrank. flor. bav. pag. 254. num. 1075. Allion. flor. ped. I. pag. 329. num. 1216.

Lathyrus aphyllus, stipulis sagittatis latissimis. *Haller. hist. I. pag. 191. num. 442.*

Aphaca. *Lobel. obs. pag. 518.*

Vicia, quæ Pitine Anguillaræ, lata filiqua, flore luteo. *Joh. Bauh. II. pag. 316.*

Recentem inter segetem frequens ubivis circa Goritiam initio visitur Maji. Plures quaquaversum diffusi, & procumbentes una de radice, eaque omnia, gracili, fusiformi, gracilioraque passim in brachia divisa, exeunt caules, & ipsi sat graciles, tetragoni, læves, virides, ramosi, ab una ad semialteram cum tempore prolongati spithamam, omnino aphylli, foliorum nihilominus loco, cirris simplicissimis filiformi-fetaceis alterna per intervalla obfiti, quibus & passim cerealium se illigant culmis scandentes.